



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij  
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||  
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

**Eck, Johannes**

**1534**

**VD16 E 292**

Dom. XI. post pente. Euan. Videns ciuitatem Lucæ. 19 Homiliæ duæ. De  
excidio Hierosolymitano

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35259**

## DOMINICA VNVS

DECIMA POST FERIAS PEN-

tecostes euangelium

Luce XIX.



**I**n illo tempore Vt ap-  
propinquauit Iesus ui-  
dēs ciuitatem Ierusalem,  
fleuit super illam, dicens:  
Quasi cognouisses & tu,  
& quidem in hac die tua  
quæ ad pacem tibi, nunc  
autem abscondita sunt  
tibi oculis tuis. Quia ueni-  
ent dies in te, & circūda-  
bunt te inimici tui uallo,  
& circundabunt te, & coangustia-  
bunt te undiq̄,  
& ad terrā prosterne-  
nt te & filios tuos q̄ in te sunt.  
Et non relinquent in te lapidem  
super lapidem,  
eo quod nō cognoueris tempus  
uisitacionis tuę.  
Et ingressus in templum,  
cepit eijcere uendentes  
in illo & ementes, dicens  
illis: Scriptum est,  
quia domus mea domus  
orationis est. Vos autem  
fecistis illam speluncam  
latronum. Et erat  
docens quotidie in templo.

Matt. 24  
Marc. 13

Matth. 21  
Marc. 11  
Johan. 2  
Iaię. 56  
Jeremi. 7

HOMILIA .I.

**Q**uod fiene domino, inquit **Gregorius, Hieroso-**  
**lymorum** subuersio describatur, quæ à **Vespasi-**  
**ano & Tiro** Romanis principibus facta est, nul-  
 lus qui historiam euerfionis legit, ignorat. fletus autem  
 hic **Christi**, factus est in ipso die **Palmarum**, quando plu-  
 rimus ei exhibitus est honor: quo docere nos uoluit ille,  
 ne inter gaudia obliuiscamur malorum, quæ nobis oc-  
 currere tunc quoque possunt, iuxta illud **Sapientis**, In die-  
 bus bonis etiam recordare malorum. Atq; hoc est, quod  
 sancti patres dicunt, ideo in dominica **Palmarum** legi in  
 ecclesia passionem **CHRISTI**, quoniam & ipse dominus  
 in medijs gaudijs perturbat<sup>9</sup> est, & mærore cõfectus. Nos  
 iam textum ipsum adgrediamur: **Vt** appropinquauit, ut-  
 dens ciuitatem. **Mitissimus** dominus non solum pedibus  
 corporis, sed & compassionis in animo appropinquauit,  
 atq; id tamen torum frustra, quoniam ut maxime diu ap-  
 propinquet nobis dominus, nosq; non etiam accedamus,  
 nihil fit. sic **Iacobus** ait, **Appropinquate** deo, & appro-  
 pinquabit uobis. sane enim nullus in deo defectus, sed o-  
 mnis iste in nobis est. Neque uero appropinquat ille tan-  
 tum, sed & flet. siquidem nulla est alia natio tam grandis,  
 quæ habet deos appropinquantes sibi, sicut appropinquat  
 nobis deus noster. **Appropinquat** ergo dominus pecca-  
 toribus, uolens oēs hoies saluos fieri. ideoq; & per pro-  
 pheram clamat, **Conuertimini ad me, & ego conuerrar**  
 ad uos. & per alium, **Conuertimini ad me, & salui eri-**  
 tis omnes fines terræ. Nanque hoc est, quod credas cõstan-  
 ter, quia nullus pater ardentè adeo diligit filiũ suum, il-  
 liusque profectum desiderat, ut deus cupit quatenus nos  
 filij sui ab eo cõditi, creati & redempti, bene, pie & iuste  
 uiuerem<sup>9</sup>. In eius rei argumentũ dicitur hic nõ appropin-  
 quasse tantum ciuitati, sed & super eam fleuisse. ait enim  
 euangelista: **Vt** appropinquauit, uidens ciuitatem, fle-  
 uit super illam. fleuit pius redemptor ruinam perfidæ  
 ciuitatis, quam ipsa sibi ciuitas non cognoscebat esse uen-  
 turam. sicq; cõdolens dñs dicit per prophetam, **Quis** da-  
 bit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachryma-  
 rum? & plorabo die ac nocte interfectos filia: populi mei.  
 Nõ risis, quod sane in scripturis inueniatur, mitissim<sup>9</sup> do-

**Stegor<sup>9</sup>.**

**Ecc. 11**

**Iaco. 4**

**Dent. 4  
1. Cum. 2**

**Zach. 1  
Isai. 45**

**Gregor<sup>9</sup>.**

**Jeremi. 9**

minus, sed ex rationabilibus causis nō semel fleuit, ut hic super ciuitatem Ierusalem, quæ non cogitat malum iam iam sibi imminens. unde poterat ille dicere cū Iſaia, Quo modo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij iustitia habitauit in ea, nunc autem homicide, fleuit deinceps & in resuscitatione Lazari, qui fremitus processit ex eius indignatione contra diabolum, cuius inuidia & suggestione mors intrauerat in orbem terrarum. flebat ergo, quia fons erat pietatis, & pro parte humanitatis. In uniuersum quoq; deplorauit communē omnium hominum lapsum in cruce pendens. sic enim ait Paulus, Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesq; ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore ualido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.

¶ Quo minus autem proprium suum exitum cogitabat ciuitas, eo magis dolebat Christus, & dicebat: Si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, scilicet quæ ego lugeam, & tu feres, sicut de te dixit Ieremias: Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius, & non est qui consoletur eam ex omnibus charis suis. Fleret inquam etiam nunc in illa die sua, quæ ad pacem sibi, eo quod quæ futura erant latebant eam, uidebantur etenim Iudæi iam omnia superasse, si modo inuidiæ suæ uirus effudissent in dominum, ipsumq; occiderent. uerum id omne gaudium prouenit eis ad summū mœrorem, iuxta illud Sapientis: Ritus commiscetur doloribus & nouissima gaudij obruit tristitia. Atque hoc est quod dominus loquutus est mulieribus, dicens: Nolite flere super me, sed super uos ipsas flere, & super filios uestros quoniam ecce dies uenient in quibus dicent, Beate steriles & uentres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos.

¶ Et sic quidem etiam hic dolenter collachrymabat dominus ciuitati, præ multitudine peccatorum seipsam cognoscere non ualenti, atq; putanti se semper habituram pacem in peccatis, quod fieri non potest. Deus enim dominus est uindictæ, & ulciscetur se statim: quoniam quum dicent, pax & securitas, repentinus eis superueniet interitus.

Iſaie. i.

Cyrillus.

Hebr. 5.

Chren. i.

Proue. 18.

Luc. 23.

i. Chet. 5.

Quam multis locis hoc contingit. Tu hoc quoque ut uo-  
les extende.

1. ¶ **I**am porro horrendum magnificæ urbis excidi-  
um describit dominus, idq; per hæc quinque:

1. ¶ **C**ircundabunt te inimici tui uallo.

2. ¶ **C**oangustabunt te undiq;

3. ¶ **A**d terram prosternent te.

4. ¶ **E**t filios tuos qui in te sunt.

5. ¶ **N**on relinquent in te lapidem.

¶ **Q**uæ omnia magnam urbis mutationem signant, q; **Beda.**  
niam tunc extra ciuitatem crucifixus est dominus, teste **Hebræis;**  
**Paulo.** Nunc uero urbs tota sic extracta est, ut locus calua-  
riæ, ipsimque adeo sepulchrum Christi, sint in urbe, to-  
tamq; constet illam antiquam Hierosolyman dirutam,  
solumq; esse equaram. Quomodo principes Romani, quam  
ægre obsederint urbem, tribus aggeribus circunderint,  
quantis in periculis bellorum, famis & pestis fuerint Iu-  
dæi, quam crudeliter trucidati, capti & uenditi, **Iosephus**  
ipse quoq; Iudæus natus, qui in eodem bello fuit, iustis se-  
preu uoluminibus descripsit. Tempore namq; paschali cœ-  
pta est urbs oppugnari, quando erat plenissima in con-  
uentu omnium Iudæorum, quo nomine uehementior ef-  
ficebatur obsidio. intus enim fames & inter ciues factio  
& seditio erat, exterius hostilis & cruentus grassabat gla-  
dius, ut rectissime sic dicere poterant illud **Danielis:** Vndi-  
q; mihi angustia, & quod me uertam nescio. Prædixerant **Dani.**  
enim iam olim illud prophetæ, sed obstinati Iudæi cre-  
dere nolûr, neq; agnoscere prophetias **Danielis, Christi, Isaie,**  
**Pauli & Petri,** dum abrogant sanctum missæ sacrificium.  
**Isaias** prædixerat, Terra uestra deserta, ciuitates uestre suc-  
censæ sunt igne. Regionem uestram coram uobis alieni  
deuorant, & desolabitur sicut in uastitate hostili. & dere-  
linquetur filia Sion ut umbraculum in uinea, & sicut tû-  
guriû in cucumerario, & sicut ciuitas quæ uastatur. **Mich.**  
Ita excidium hoc etiam **Michieas** prædixit, inquit: Sion  
quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum  
erit, & mons templi in excelsa syluarum.

¶ Namq; quum iam Romani urbē totam funditus euef-

tissent, qui adhuc reliqui erant Iudæi, rursus cœperunt cœ-  
 ficare illam: & superuenit Aelius Adrianus, & iterum di-  
 ruit quicquid erat extructum, oppidulumque ibidem cœdificauit,  
 Hiero. de loc. hebr. etiam est quod Isaias inquit, Habitatores Ierusalem & ui-  
 3 Isai. 5 ri Iuda iudicate inter me & uineam meam. auferam sepe-  
 eius, & erit in direptionem: diruam maceriem eius, &  
 erit in conculcationem: & ponam eam desertam. non  
 putabitur, & non fodietur, & non ascendet super eam ue-  
 pres & spinæ, & nubibus mandabo ne pluant super eam  
 imbrem. Id omne sub ænigmate & prætextu uineæ, præ-  
 dixit propheta de urbis huius excidio, quoniam ibidem leg-  
 tur: Vinea domini exercituum domus est Israel. Superle-  
 deo cæteris prophetarum uaticinijs, quoniam sunt innume-  
 ra. Neque uos credo later, quomodo ostendentibus Christo  
 Matt. 24 discipulis structuram templi, dixit ille ad eos: Videtis hæc  
 omnia? Amen dico uobis, non relinquetur hic lapis super  
 lapidem, qui non destruat. Quæret autem non abs re  
 quispiam, quid hic de Christianis actum sit, quorum utique  
 Act. 2. 4 multi per apostolos & discipulos CHRISTI à Iudaismo  
 conuersi sunt, sicut & Lucas de octo millibus scribit. Re-  
 spondetur, Christianos in hac angustia & persequutione  
 Lib. 3. c. 3 non esse deprehensos. Refert enim Eusebius Christianos,  
 qui tunc erant Hierosolymis, admonitos esse diuinitus, ut  
 secederent ultra Iordanem in ciuitatem Pellam, ut cum  
 7. c. 9 secessissent ex urbe boni, deus peccatricem ciuitatem magis  
 puniret. Iosephus etiam scribit, quod quum in nocte Pen-  
 tecostes sacerdotes ingressi essent templum ad cultum dei  
 peragendum, primum audierunt sonitum, deinde uocem  
 dicentem: MIGREMVS HINC. Præterea Iesus quidam  
 fili' Ananiæ agricola, quatuor annis ante excidium cōri-  
 nue clamauit per uniuersam ciuitatem, Vox ab ortu, uox  
 ab occasu, uox à quatuor uentis, uox in Ierusalem, uox in  
 templo, uox in omnem populum. Væ uæ uæ Ierusalem.  
 Sicque clamauit ille cōtinue, & in magnis festiuitatibus ma-  
 xime, sine ulla rauedine uocis. Quumque in obsidione su-  
 per murum circumiens clamaret assiduo, Væ ciuitati, uæ  
 templo, uæ populo, & ad extremum diceret, Væ mihi, la-  
 pide scitus occubuit.

¶ Multa possent hic de immensis ærumnis huius ex  
 cidij dici, nisi nimis longum id foret; & ramen sub breui- **lib. 3. c. 4**  
 tate libet de fame, sicut & Eusebius fecit, portiora transcur-  
 rere, reliquasq; belli & confictus mutui miserias missas  
 facere, unde cognoscatis, quantum scelus sit & peccatum  
 occidisse Christum, quam obrem merito tanto supplicio  
 puniuit illud deus. Diatrib<sup>9</sup>, inquit Iosephus, nihil inter- **Jos. lib. 5**  
 erat siue uiuerent siue occiderentur, si enim uiuebant, ac-  
 cusabantur pro ijs, qui defectionem meditarentur & para-  
 ræt ad Romanos, unde occasio dabatur illis bona omnia  
 auferendi. Quomq; iam nullibi palam essent frumeta, mi-  
 lites irruptionem faciebant in ædes diuitum: & si quid in-  
 ueniebāt, rapiebant statim: si nihil, ramen affligebant ho-  
 mines, quasi qui abscondissent ea ne communicarent alijs,  
 clamabant ipsos tam diu sine cibo uiuere non posse. Non  
 nulli omnem substantiam suam expendebāt pro uno mo-  
 dio frumenti, scq; concludebant priuatim in penetralia  
 ædium, & quod habebant, uelut furtiuum comedebāt se-  
 micoctum. Miserabilis omnino hæc rerum omnium facies  
 erat & aspectus infelicis escæ. quisquis enim potentior  
 erat & paulo robustior, cibum rapiebat ubicunq; inuene-  
 rat, nulla hic uerecundia, reuerentia nulla fuit, uxores ma-  
 ritis, liberi parentibus, ipsaq; adeo matres filijs suis escam **Miseranda**  
 abripiebant ex ore, ita ut libere in conspectu parentes **Hierosoly**  
 concidebant moribundi. Quid quod nemini facile lice- **morum ob-**  
 bat priuatim manducare: quoniam quascunq; fores cer- **sessio & ex**  
 nebant latrones clausas, eas effringebant: & irruentes **pugnatio.**  
 quærebant cibum, inuentumque uī abripiebant. neque  
 in hoc senibus parcebatur, neque mulieribus. Milites in-  
 super negantes ipsis homines cibum, præacutis & uali-  
 dis acubus pungebant loca genitalium, ut extorquerent  
 escam. Quod si quis magno uitæ periculo extra urbem  
 clam peruenisset, decerpitisque oleribus uix hostrium ma-  
 nus euasisset, & rursus uenisset in urbem: quicquid in-  
 genti discrimine uix tandem abripuit, id omne ei rursus  
 auferebatur.

¶ Usque adeo etiam inualuit fames, ut undique pla-  
 teæ omnes plenæ essent cadaueribus mulierum & infan-  
 tum atque puerorum, senes quoque expirabant palam in

plateis, iuuenes uix sufficiebant iam figendis gressibus, ita exhaustis uiribus erant. Qui etiam robustissimi sibi uidebantur, & bene adhuc uiuere, itidem non sufficiebant, deficiente iam libitina, sepeliendis ijs qui sibi erant charissima. in quo etiam opere multi intenti, dum cadauera sursum congerunt, moriuntur: quidam in ipsa uia cadauer alii quod sublatū uix humeris ferentes, corruiebant ante mortui, quam terram contingerent. Quid multa: lachrymis erant omnia plena, plena omnia meroribus, quando nihil undique erat, nisi ipsissima mortis imago. Crudeliores erāt in hoc spectaculo, latrones, siquē & monumēta lustrabant, & cadauera spoliabant, quedam etiam semimortua occidebant penitus, gladios suos hoc modo experientes. Erant hic qui occidi se postulantes, impetrare non poterant. Multa quoque mortuorum cadauera proiciebant extra urbem, ita ut istis implerēt fossas: cuius tragœdia miseratus Titus ipse Imperator, sublatis in cælum oculis, dicebat cum gemitu: Testem te inuoco deus, quod non est hoc opus meum. Ad extremum tanta erat fames, ut in tota undique ciuitate de cibis contentio erat, emortua iam innumerabili hominum multitudine præ fame, adeo ut

Li. 6. c. 11

Mannerus Iudæus quidam, qui Romanis se dedit, dixerit à decimo quarto Aprilis usque ad primum Iulii, elata per portam cadauera hominum centum quindecim millia & octoginta. Verum deinceps qui reliqui super fuerunt nobiles, retulerunt ultra sexies centena millia elata esse extra portam, præter eos qui alijs mortui fuerant. Urgebatur insuper, quæ uix fas est loqui aut credere, homines mactare, corium, calceos, pelles, fœnū quoque & ijs multo deteriora non abhorrebant.

Mortui

Josephus quoque scribit quiddam inauditum & inhumanū. Mulier quædam nomine Maria, filia Eleazari, diues & nobilis, nata ex urbe Bathecor citra Iordanem, ea quoque Hierosolymam confugerat in hanc infelicem obfessionem. fameque præualecente, cum quod coquebat, irruentes milites ei auferrebant, qua re commota & percita furore, ad facinus urgebatur, quod & ipsa auersatur natura: & si uera sunt quæ referunt ueteres, sol quodam hic ipse, quod omnia uidet, uidere exhorruit. lactentem adhuc habe-

7. ca. 6

Mulier, p. lē comedit

bat infantulum, eum elatum ad oculos ecce inclamar. **O** infelicissimæ matris filiule, multo infelicioꝝ, cuinam te seruabo in tanto bellorum imperu, in fame & seditionibus: Quod si te sino uinere, ecce seruus Romanorum efficeris, nunc autem fames præuenit seruiturem. Ad hæc q̄ seditiones mouent in ciuitate, magis furiosi sunt quàm ipsi hostes. mihi itaq; cibus eris, ne alijs esca fias, ut seditiosis istis fur orem augeas, & nos fabulam facias uniuerso generi humano. Simulq; cum ijs uerbis filiolum illum suum interemit, alteramq; corpusculi partem coxit, alteram absconditam seruauit. Interea dum hæc fiunt, ecce milites adcurrunt, nidorem sequuti, mulierem increpant, & minantur mortem, nisi proponeret quod esui parasset.

Et statim respondit illa, se bonam partem eis seruasse, atque cum hoc reliquam pueri partem proposuit, qua uisa, exhorruerunt subito, & uelut obstupuerunt. Mater autē subiunxit, Vere hic filius erat meus, de ijs ipsis carnibus ego met manducaui, & uos itaque comedite. Quid horretis: quid ueremini? Verum ipsi cum tremore & horrore abierunt. Numerum omnium occisorum facit ille undecies centena millia. Captiuorum autem infra annos septedecim, supra nonaginta millia, & innumerabilis multitudo adhuc extitit eorū, qui partim uenditi, partim ad metalla sunt condemnati. Hæc, hæc nimirum sunt illa spectacula dilectissimi, quæ hic Christus deplorauit, simul & prædixit. Neque absimile est, quod alibi dixit apud Lucam, Cum autem uideritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote q̄ appropinquauit desolatio eius: tūc q̄ in Iudæa sunt, fugiant ad mōtes: & q̄ in medio eius, discedant: & q̄ in regioibus, nō intrent in eam: q̄ dies ultiois hi sunt, ut impleant omnia quæ scripta essent. Væ autē prægnantibus & nutrientibus in illis diebus, erit em̄ pressura magna super terrā, & ira populo huic. Et cadēt in ore gladij, & captiui ducent in oēs gentes. & Ierusalem calcabit agentibus, donec impleant tempora nationū. Nos iam rogemus dñm, ne peccata nostra uisitet in acerbitate uirgæ, sed gratiam nobis suam cōcedat, ut pœnitentiã agentes de peccatis nostris, uitam consequi mereamur æternam.

AMEN.

Captiuorum  
mortui.

Lucæ. 21.

**D**ominus hoc euangelio prædixit horrendum & miserabile magnificæ præclaræq; urbis Hierosolymæ excidium: neq; id solo uerbo, sed extremo etiam signo, quia lachrymis in hoc profusus. Ratiões autē tantæ cladis non in una urbe tantum, sed & uniuersa regione deuastata quoq; indicauit hic dominus, dicens: Eo quod non cognoueris tempus uisitationis tuæ. Vbi loquitur de suo tempore, quo iam uenerat ipse uisitare eos, sicut ait Zacharias: Per uiscera misericordiæ dei nostri, in quibus uisitauit nos oriēs ex alto. Atq; hæc ipsa iam erat plenitudo temporis, quando misit deus filium suum in mundum, tempus illud beneplaciti, ut ait Dauid, quod etiam manifeste & aperte adeo prædictum eis fuerat, ut tergiuersari non possent, ita propheta omnes aduentum Messia præcinerant, ita signum certum eius temporis ostenderat patriarcha Iacob, ita Daniel etiam annos connumerauerat, unde facile tempus huius uisitationis cognoscere potuissent. Verum adeo isti erant inuidia, odio, superbia & auaritia obcaecati, ut illi nec cognoscerent, neq; intelligerent. Quamobrem loquutus est dominus quoque ad eos: Hypocritæ, faciem cæli & terræ nostri probare, hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem & ad uobis ipsis non iudicatis quod iustum est? Atque hoc est quod per prophetam conqueritur, dicens: Miluus in cælo cognouit tempus aduentus sui, turtur similiter, hirundo & ciconia, populus autem meus non cognouit iudicium domini. Quia itaq; grauiter peccarunt isti hic in domino, graui supplicio adfecti sunt, ita ut nunquam tanta plagarum omnium multitudo uenerit super eos, imò ne alibi quoq; super aliquem uniuersi mudi populū, iam inde à conditi orbis exordio.

Hinc discendum nobis est, quod quamuis hominum miseriæ, fragilitas, supplicia etiam & damna ex naturalibus interdum causis proueniant, unde & naturæ dominus commendatur: neq; id propter peccata fit, cuius rei apertum testimonium ipsa nobis CHRISTI uerba exhibent, quæ interrogabant cum discipuli de cæco nato, ipse

Lucæ. 1

Sala. 4  
Psalm. 68Gene. 49  
Daniel. 6

Lucæ. 12

Jeremi. 48

ne peccasset an parentes eius, respondet ille neq; cæcum neq; parentes eius peccasse, sed ut manifestet gloria dei in eo. Tamen nōnunquam etiam hoc permittit dominus ad bonum hominis alicuius, ut sic ille absteineat a peccatis, uitamq; suam emendet. Sic permittit stimulo carnis uexari Paulum, ne reuelationum magnitudine elatus superbi-  
 2. Corin. 12  
 3. Iudic. 3  
 tur Iudæis, q̄ experiri ille uoluit, num Iudæi seruarēt mā data sua. Sic multi infirmitatibus corripiunt in bonum, q̄ si sani permanerent, damnari poterāt in p̄ctis suis. Multi pauperes fiunt, aliās in diuitijs perituri. Pleriq; ante tēpus moriunt, qui si superstites manerent, uitam uiuerent perditam, & damnarentur. Quapropter nemo nimium dolere debet de morte filiorum suorum, quoniam sic ait Sapiens: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Multos in prima in-  
 Sapien. 4  
 fantia deus uocat ad gloriam, qui si uixissent, & gratia dei excidissent & gloria. Neque est tamen, q̄ paruulis similes habeantur exequiā, ut ijs qui matura moriuntur ætate, q̄ niam ampliori intercessione nō egent, sed ut gratiā agātur deo, qui animas eorum æterna felicitate donauit, in q̄ nemini dubium esse debet.

¶ Fit quoq; ut permittat deus aduersitatibus aliquē ue-  
 xari, ad probandum eum & meritū ipsius augendum, sic-  
 Job. 1  
 ut lob omni miseriæ & infelicitatis genere circūdatus fu-  
 it in bonis suis, in liberis, in ipso quoq; corpore suo, quæ  
 omnia meritum ipsius maximū fecere. Atq; hoc mō Ra-  
 phael Thobia dixit, opus fuisse ad hoc, ut acceptus fieret  
 Thob. 12  
 domino deo, quatenus tentatio eum probaret. Ita Paulus  
 Actuu. 14  
 per multas ait tribulatiōes ingrediendū nobis esse regnū  
 celoꝝ. Idēq; deus ex mera dilectiōe facit, quum quem dili-  
 git castigat, & flagellat omnem filiū quem suscipit. sicq; Hebr. 12.  
 q̄ iudicamur, & a domino corripimur, non cum hoc mō  
 1. Corin. 11  
 do cōdemnamur. Atq; de huiusmodi castigatione, quæ ho-  
 mini in bonum cedit, hic non loqmur.

¶ Neg raro autem ex peccato uenit huiusmodi pœ-  
 na & tribulatio, idēq; in totis prouincijs, in oppidis, in prē-  
 uaris hominibus. Eius rei tota undique scriptura plena  
 est testimonijs. Et mitto hic, quomodo sapius in ueteri

- testamento grauiter interminatus est dominus Iudæis supplicia magna, non seruantibus mandata sua, ut in libro Iudicum & alibi. Exordiamur autem ab homine primo, & ecce illum uidemus propter peccatum esse e paradiso expulsus. Filius eius Cain, profugus factus est & tremulus per omnem uitam ex fraticidio. Vniuersum quoque mundum aquis diluuij perdidit deus propter peccatum, exceptis Noë & qui cum illo erant. Peccatum quoque causa unica fuit diuisionis linguarum in ædificatione turris Babylonica. Atque sic deinceps usque ad excidium Hierosolymę, quod etiam factum est propter istud ingens peccatum crucifixi & occisi filij dei. O domine deus, quando nostra quoque peccata maxima sunt, clemens & propitius nos conuertente: neque flagellis nos uisita iracundię tuę, sicut interminatus es in lege, gentes quas eijciam ante conspectum uestrum & quibus polluta est terra, cuius ego scelera uisitabo, ut euomat habitatores suos. Et iterum per os Dauidis, Visitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorū. Sic Moyses increpauit Iudæos, Quare uos transgredimini uerbum dei, quod uobis bene nõ succedet. Sic Iob quoque dixit Recordare obsecro te, quis enim unquam innocens perijt? aut quando recti deleri sunt? Quin potius uidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, stante deo perijt. Non ignorabant hoc Iudæi, quãdo ex captiuitate Babylonica liberati, redierant in terram suam, atque hoc modo quicquid obuenit nobis, propter opera nostra mala fit nobis. Vos itaque charissimi uidete ne peccetis, quod si autem peccaueritis, statim declinate per penitentiam. aliis enim impune uobis non licebit peccare, nisi ipsi peccata uestra corrigantur per penitentiam: quoniam peccatores conuertentur in infernum, omnes gentes quę obliuiscuntur deum, inquit Dauid. & iterum in alio Psalmo, Retribuet eis iniquitatem eorum, & malitia sua disperget illos dominus deus noster. Pluet super peccatores laqueos, ignis, sulphur, spiritus procellarum pars calicis eorum. Quoniam iustus dominus & iustitias dilexit, æquitatem uidit uultus eius. Petrus etiã, Vultus, inquit, dñi est super faciētes mala, ut preddat de terra memoriam eorum. Quid autem singula con-
- Gene. 3**
- Gene. 4**
- Gene. 7**
- Gene. 11**
- Leuit. 18**
- Psalm. 28**
- Job. 4**
- Psalm. 9**
- Psalm. 93**
- Psalm. 10**
- 1. Petri 2**

quirimus, quando plena est omnis undiq; scriptura, quod deus affligit malos & punit. Vosq; adeo ne dubitetis, quoniam ille non feret impune neochristianis raras blasphemias, nisi per penitentiam deleuerint, quod faxit deus, Amen.

3. Sed cogitare aliquis intra se: Primum, quomodo conueniat quod nos diximus Hierosolymam dirutam esse propter peccatum interempti filij dei, cum eo quod Iosephus refert Romanos expeditionem illam mouisse aduersus Iudæos ob eorum inobedientiam & contumaciã, atque defectionem à regno Romanorum, sicut aperte testatur oratio Agrippæ ad Iudæos. Deinde, quomodo deuastatio hæc quadragesimo demum anno post Christi passionem sit facta, bona utiq; pars eorum, qui Christum crucifixerant, iam interierat demortua. Ad superius illud respondendo, quamuis Romani id omne ob suum commodum fecerint, supremus tamen ille dominus omnium, totiusq; mundi moderator, pro sua uoluntate disposuit ex alia causa: sicuti quum Nabuchodonosor magna dominandi libidine ductus, Iudæos captiuos abduceret in Babyloniam, non aliqd considerabat, quam ut amplissimam acquireret potestatem. Et tamen deus in hoc diuersa ratione usus, Iudæis commertam insigebat penam: ad eam exercendam concitauit Nabuchodonosorem, tanquam instrumentum, organum & uirgam furoris sui. Quamuis quum iam satis uirga usus est dominus, ipsam quoque proficit in ignem, id quod testatur aperte per Isaiam: *Væ Assur, uirga furoris mei & baculus ipse est, in manu eius indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei, mandabo illi ut auferat spolia, & dissipat prædam, & ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum. ipse autem non sic arbitrabitur. Et deinceps, Erit cum impleuerit dominus cuncta opera sua in monte Sion & in Ierusalem, uisitabo super fructum magnifici cordis regis Assur. Ecce quomodo per uirgam Assur affligit Iudæos deus, quamuis Assur aliam ob causam persequeretur eos, ideoq; deus tandem Assur etiam affligit, ut inquit Sophonias, Extendet manum suam super aquilonem, & perdet Assur. Sic iam Turca nobis Assur, deo autem uirga est, qua affligitur Christianitas,*

Cur Iudeis bellum motum.

Li. 2. c. 16

Punit de alia causa q̄ homo.

Isaię. 10

Soph. 2

- sic tamē, ut denique etiam uirga præcipitur in ignem, ut ait Iezechiel: **Mucro mucro**, euagina te ad occidentum. reuerrere ad uaginam tuam, in loco in quo creatus es, in terra natiuitatis tuæ iudicabo te, & effundam super te indignationem meam, in igne furoris mei sufflabo in te. Ita hic quamuis Romani diuersa ratione ducti sunt, deus tamen illis pro uirga usus est furoris sui. id quod nunc quoque uidemus euenire quotidie, ut deus nonnullos affligit per malum quempiam, sed & hunc tandem sinit interire. Ad alteram quaestionem respondemus: uerum esse, bonam partem eorum qui **CHRISTVM** occiderant, fuisse de mortuam, sed tamen dicimus aliquando deum uelocē esse ad affligendum: sicut fecit in deserto, ubi adhuc eorum erant in ore ipsorum, & ira dei ascendit super eos, atque occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit. Alias quoque differt uindictam, sic ueteres dicebāt deum pedes habere laneos. sic Valerius inquit, lento quidem gradu ad uindictam sui diuina procedit ira, sed tamen tarditatem supplicij grauitate compensat. Quo longius enim differt, hoc grauius punit dominus. longanimis tamen est & multum misericors, sæpe diutissime expectans, an quis conuertatur, ait Dauid: **Miserator & misericors dominus, longanimis & multum misericors**, non fecit nobiscum secundum peccata nostra, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Atque hoc est quod Paulus inquit, **An diuitias bonitatis dei & patientiæ, & longanimitatis cõtemnis, ignorans quoniam benignitas dei ad penitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, id ipsum & propheta cognouit, quum diceret: Ideo expectat dominus, ut miseratur uestri.** Vbicunque ergo emendatio nulla est, iniquitatem patrum uisitat dominus in tertiam aut quartam generationem. Et sic quando liberi iniquitatem patrum parentumque suorum uelut hæreditariam sibi attrahunt & usurpant, atque nonnunquam maioribus suis fiunt deteriores, non aliud eos manet supplicium, quàm quo hinc Iudæi sunt adfecti: in quibus tamen usque adeo nihil profectum est, ut in hunc

**Iezech. 21****Psalm. 77****Valer.****Psalm. 102****Roma. 2****Isaie. 30****Exodi. 20**

usque diem non desinant exacerbatum ferre odium ad-  
 uersus Christianos, quod iam olim conceperunt in Chri-  
 stum, dum crucifigerent illum. id ipsum enim perpetuo  
 deinde exacerunt uelut gladium acutum aduersus om-  
 nia CHRISTI membra. Petrum enim & Iohannem  
 uirgis ceciderunt, Stephanum lapidarunt, fratrem do-  
 mini Iacobum gladio occiderunt, rursus Petrum uinxe-  
 runt, Paulum lapidibus obrutum pro mortuo extra por-  
 tas pertraxerunt, sæpius uirgis ceciderunt, neque semel  
 mortem intentarunt. Usque adeo CHRISTVM torum  
 per singula membra interficere semper conati sunt, sub-  
 inde suis exemplis maiorum suorum facinora pro bo-  
 nis adprobantes, qui si CHRISTVM habuissent, & ipsum  
 quoque crucifixissent. Ut iam merito desinamus mirari, si  
 pœna crucifixi CHRISTI super filios crucifigentium per-  
 uenerit, iuxta illud quod petierant clamitantes: Sanguis  
 eius super nos & super filios nostros. Quid quod ab ipso  
 Christo crudimur, deuastationem hanc non tantum fu-  
 isse uindictam super sanguinem CHRISTI, sed & pro-  
 pter sanguinem omnium tum prophetarum, tum Chri-  
 stianorum, qui occisi sunt à Iudæis? Ita enim ait domi-  
 nus: Gemina uiperarum, quomodo fugietis à iudicio  
 gehennæ? ideo dico uobis, ecce ego mitto ad uos pro-  
 phetas & sapientes & scribas, & ex illis occidetis & cru-  
 cifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis uestris, & per-  
 sequemini de ciuitate in ciuitatē, ut ueniat sup uos ois san-  
 guis iustus, q̄ effusus ē sup terrā, à sanguine Abel iusti, us-  
 que ad sanguinē Zacharię filij Barachię, quē occidistis inter  
 templū & altare. Amē dico uobis, ueniet hæc oia sup ge-  
 nerationem istam. Ierusalem Ierusalem, quæ occidis pro-  
 phetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quories uolui  
 congregare filios suos, quemadmodum gallina con-  
 gregat pullos suos sub alas, & noluisti? Sumant hinc  
 neochristiani exemplum sibi, ut maxime non statim in  
 foribus blasphemiarum suarum sit supplicium, domi-  
 num expectare pœnitentiam eorum: quam si acturi non  
 sunt, sciant quoniam blasphemias tantas tamq̄ dtra sa-  
 crilegia uindictabit deus in quartam generationem in

Actuū. 5  
 Actuū. 7  
 Actuū. 12.  
 Actuū. 14.  
 1. Corin. 12

Johan. 19

Matth. 23

filios filiorum. siquidem uel ij tandem exoluent interitu suo calices direptos & alia bona ecclesie.

- Gregori<sup>9</sup>.** ¶ Ingressus deinceps dominus in templum, eiecit ementes & uendentes, ait **Gregorius**, Qui narrauit mala uetura, & protinus templum ingressus est, ut de illo ementes & uedentes eijceret, profecto innotuit, quia ruina populi maxime ex culpa sacerdotum fuit, ipso siquidem desognauit, unde origo & causa sit tanta uastationis; neque id olim tantum factum est, etiamnum hodie uidemus malos sacerdotes & falsos predicatores seducere uulgum, tantasq; nunc mouere seditiones & discordias moliri per uniuersam Germaniam. Ingressus inquam est dominus templum, id quod nunc quoq; decet Christianos bonos, ut cum aliquo proficiscuntur, primum statim ingrediantur templum, iuxta illud **Dauidis**: Adorabo ad templum sanctum tuum. Reliqua de templo & orationibus in eo habendis, dicturi sumus in homilijs de didicatione templi. Quod autem ad ipsam pertinet historiam, inquit **Hieronymus**: Quod accidebat plerunq; ut qui de longe uenerant, non haberent uictimas, excogitauerunt igitur sacerdotes, quomodo praedam de populo facerent: & omnia animalia quibus opus erat ad sacrificia, uendebant non habentibus, & ipsi rursus empta reciperent: & quia multi non habebant unde emerent, nummularios, qui mutuum sub conditione darent pecuniam: & quia lege cautum erat, ne usuras acciperent, excogitauerunt aliam technam: & pro nummulariis posuerunt colybitas, quod uaria tragemata & munitula fructuum loca usurarum reciperent: quamuis id ipsum prohibitum quoq; erat, dicente per prophetam domino: **Iezech. 22** Usuram & superabundantiam non accipieris. Visa itaq; & perspecta eorum auaritia, dominus istam hominum confusam turbam e templo eiecit, atq; propheticum illo dicto corripuit: Domus mea, domus orationis uocabitur, uos autem fecistis eam speluncam latronum. Latro (inquit **Hieronymus**) est, & templum dei in speluncam conuertit latronum, quod lucra de religione sectatur. cultusq; eius, non tam cultus dei, quam negotiationis occasio est. Sunt qui putant eos pauperibus pecuniam mutuassee ad pignora, quae quum illi non essent soluendo, exiguo precio sibi attraxe-

**Parte. 3.**

**Hiero sup  
Darth. 21**

**Iezech. 22**

**Hierony.**

**Johan. 1**

runt. Et hoc quidem dominus fecit bis: semel primo predicationis suae anno, dende ultimo anno in ipsa die Palmorum, quae quinq; erat ante passionem suam & mortem, sicut **Matth. 21**, **Marc. 11**, **Lucas** commemorant. **Chryso-**stomus multum hic conqueritur de Christianis, quorum templis putat magis operae precium esse, ut expellat Christus ementes & uidentes, q; ex ista synagoga Iudaeorum, qua de re dicti quidem possent per multa, si modo adessent qui faciunt talia. hoc est, Simoniaci, Ciezirae, Curtifani in dolo uersati, de bonis non loquimur. Exhibuit autem hic Christus maiestatem suam, exhibuit & omnipotentiam, quando inermis ipse tantam hominum multitudinem eiecit ex templo. Atq; ideo dicunt doctores fulgidum quendam radium exisse e facie ipsius, & Iudaeos exterruisse, sicut in monte Oliuei corruerunt ante eum, nec potuerunt aspicere eum, neq; tangere, nisi prius ille permitteret. Addit hic dictum propheta: **Domus mea, domus orationis est.** In oratorio, inquit **Augustinus**, nemo aliud agat nisi ad quod factum est, unde & nomen accepit. Non sunt ex templis facienda horrea, aut quod foedius est stabula, siue quicquam profanum. Dices, quid hoc est, quod hic dominus subito adeo facto ipso corripuit istos, neq; prius uerbis compellauit & reprehendit, ut sic tandem nolentes mandato suo obsequi, puniret acerbius? Respondeo sane q; eum qui antea certus est, nec admoneri opus est, neque reddi certiore. Quando igitur Iudaei multis modis in sacris literis edocti erant mercimonia non exercere in templo, deinde huiusmodi quoq; lucrum non quaerere ex sacrificijs, decebat ut qui scripturae nolebant credere, a domino palam ipso opere corripentur. Sic enim ait **Jeremi. 7** Nunquid spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis uestris? Ego ego sum, dicit dominus, ego uidi, inquit **Oseas. 6** in domo Israel horrendum, ibi fornicationes Ephraim, ibi rapinae & usurae, unde perueniunt diuitiae affluentes. Sed & **Zach. vlt.** charias dicit, non erit mercator ultra in domo domini, atq; in multis alijs locis. Ad finem habet euangelium hoc nostrum, quoti die dominum docuisse in templo: ubi cer nere est, quod quamuis obstinati pleriq; erant Iudaei, mul

**Matth. 21**  
**Marc. 11**  
**Chryso.**

**Augustin.**

**Reg. eum**  
**qui certus**  
**de reg. iu-**  
**ris. lib. 6**

**Jeremi. 7**

**Osee. 6**

**Zach. vlt.**

ti tamen ex ijs boni erant & pii, audientes uerbum domini, cum nondum erant hic festa paschalia, atq; ij multis Christianis multo fuerant meliores, qui etiam festis diebus non audiunt cōciones sacras, ad quas et si accesserint, aufugiunt statim, neq; præstolātur finem. Nos iam communibus uotis oremus dominum pro omnibus.

## DOMINICA XII.

POST FERIAS PENTECOSTES, Euangelium

Lucæ XVIII.



Sup. 2  
Actus. 3

**I**n illo tempore dixit Iesus ad quosdam qui in se confidebāt tanquā iusti, & aspernabātur cæteros, parabolam istam, dicens: Duo homines ascendebant in templum ut orarent, unus pharisæus & alter publicanus. Pharisæus stās, hæc apud se orabat: Deus, gratias

Ecc. 5  
Sup. 15

ago tibi quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic publicanus. Ieiunō bis in sabbato, decimas do omniū quæ possideo. Et publicanus à longe stans, nolēbat nec oculos ad cælum leuare, sed percutiebat pectus suam, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Dico uobis, descendit hic iustificatus